

71

D. F. G.  
SPECIMEN ACADEMICUM,  
**I G N E M**  
**M A G N A L I U M**  
**D I V I N O R U M**  
**P R Æ C O N E M**

EXHIBENS,

CUJUS PARTEM POSTERIOREM,  
Suffragante Ampliss. Facult. Philos. Auraica,

P R Æ S I D E M

**D<sup>N.</sup> PETRO KALM,**

Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord. Acad. Reg. Stockh.  
Societatisque Litt. Ups. MEMBRO.

Nec non

Acad. Aboëns. h. t. RECTORE MAGNIFICO,  
PRO GRADU

*Publicæ censuræ modestie submittit*

**GABRIEL WELONIUS,**

SATACUNDENSIS.

In Audit. Majori die XIV. Maji MDCCCLVII.

H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland, JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:is  
MAXIMÆ EIDEI VIRO,  
Reverendissimo Patri ac DOMINO,  
**D<sub>N.</sub> CAROLO FRID.  
MENNANDER,**

S. S. Theologiæ DOCTORI Celeberrimo, Inclitæ  
Diœceſeos Aboënsis EPISCOPO Exoptatissimo, Re-  
giæ ibidem Academiæ PRO-CANCELLARIO Emi-  
nentissimo, Venerandi Consistorii Ecclesiastici PRAE-  
SIDI Gravissimo, Scholarum per Diœcelyn EPHORO  
Adcuratissimo, Regiæ Scientiarum Academiæ Sveca-  
næ MEMBRO Dignissimo,

MÆCENATI SUMMO.

**Q**uod coram TE, Præſul Reverendissime, compareo,  
opusculo huic rudi Minerva elaborato, ex Nominis  
TUI Reverendissimi ſplendore ornatum adquifiturus, eo  
ne arrogantiæ cupido reus videar, valde vereor; ſed  
gratiæ TUE amplitudo & gaudium illud commune, inde,  
quod TE Episcopum Diœceti & Pro-cancellarium A-  
cademiæ colere licet, exortum, id mibi confidentiæ in-  
ſpiravit, ut TIBI, Reverendissime Præſul, pagellas has  
offerrem in ſignum venerationis menquam intermit-  
ræ, qua ad urnam usque vota pro omnigena TUA  
proſperitate mancipare non intermittam

Reverendissimai NOMINIS TUI

cultor devotissimus,  
GABRIEL WELONIUS.



## §. VI.



Ursus, quem Divino sub auspicio,  
inquirendo evolvendoque vestigia  
Summi & in æternum religioso de-  
votionis cultu colendi Numinis,  
in latebris ignis abundanter nec  
non mirifico fulgore emicantia, su-  
scipimus, quum confidere nobiscum constitueri-  
mus, *ipsa figura*, qua particulæ ignis mortales o-  
culos in totum eludentes ad perfungendum, quod  
igni æterna injunxit Sapientia munus aptissimæ sunt,  
nostram qualemcunque ut occupet attentionem, non  
indigna videtur. Et quemadmodum Philosophi in  
omnium aliorum fluidorum particularum figuris  
rimandis, ita & in ignis, in diversa sententiarum  
abeunt divertia; quippe quorum alii Particulas has  
rotundæ, alii oblongæ, alii conicæ & angvillæ lu-  
bricitati adsimilantis esse figuræ, magis conjiciunt,  
quam demonstrant; conjiciunt, inquam, nam quum,  
quemadmodum jam monuimus, particulæ ignis tantæ  
sint subtilitatis, ut omnium humanorum sensuum, qui

ad Gordium hunc nodum solvendum necessario requiruntur, cognitionem plane fugiant, non potest non rei hujus decisio, quamdiu mortalitas oculorum obtusura est aciem, esse impossibilis. Nos consultius judicamus animo simplici & pietati devoto admirari potentiam, sapientiam atque bonitatem infinitam & nunquam satis admirandam, quæ particulas ignis valuit, scivit & voluit ejusmodi induere figuris, quæ ad finem obtainendum sunt accommodatissimæ, quam omnia, quæ in stupendo hoc Creatoris artificio ardua, immo prope impossibilia investigatu obveniunt, vacillantis rationis decempeda metiri & ad vivum usque resecare velle. Sufficit nobis ex Divina hac pharetra, ceu ex inexhausto promptuario tantum depromere posse antidotum, i. e. testimonia Entis perfectissimi, quantum unquam ad vulnera, quibus ipsam atheistarum phalangem miserrime fauciatam omnes fani deploramus, curanda & ad venerationem in animis nostris summam excitandam est necessarium. O Divinum & mysteriis naturæ repletiissimum artificium, in quo rimando solertissima quoque sagacitas suam agnoscere cogatur hebetudinem, & insimul ad venerandam Conditoris vel Artificis hujus infiniti potentiae, sapientiae nec non bonitatis, incomprehensibilis *αναταληψιας* compellitur! Sed quid, mi sycophanta, cæcus, cæcus inquam, casus? quis illum tanta fabricare instruxit opera, in quibus conficiendis acutissima oculorum requiritur acies? Quis cæcum hunc tanto, ut nodum in scirpo inveniat,

ocu-

oculorum armavit visu? O miserrimorum miserime, adeo nefanda atque juxta lugenda, non dicam monstrosa, tua est cachinnatio, ut talpas quoque tanto perstringat horrore, ut prorepentes e cavis suis tuam commiserentur vesaniam.

## §. VII.

**Q**uemadmodum in figura particularum ignearum, ita & in earundem *subtilitate* maxime stupenda summas Altissimi potentiae, sapientiae & bonitatis reconditas deprehendimus divitias. Hanc altius eminere, quam ut acutissima humana solertia eandem adsequi valeat, nemo inficias iverit, qui vel tantillum animo praesenti, examinaverit rei ipsius indolem & verba, quae ad miram hanc subtilitatem evincendam allata leguntur in Muschenbr. Phys. Cap. XVII. §. 845. & sic audiunt. Dese strålar åro ganska fine och tästa nästan med Geometriske linier; ty om et litet hål stickes på et papper med en nål/ kan en åskadare/ som ligger mid=öpen/ se derigenom alla objecter på halftwa himla runden/ men fierde delen af himmelen tillika med alla kroppar/ som finnas framföre honom på jorden/ när han står rak: Så at den oräkneliga mångd af strålar/ som antingen utföra eller tilbaka studja ifrån objekterne, och lepa genom det sina hålet/ gifwer en större finhet tillhänna än någon mennisktig skarpsinnighet kan fatta. Idem Auctor Celeb. in duabus proxime sequentibus notis stabilivit: Candela nimi-

rum accensa & in summo apice turris posita, quæ  
 ea copia, ut oculis nostris excipi queant, radios  
 suos extendit, circulum, qui diametro suo longi-  
 tudinem unius milliarii æquat, conficit; & eo e-  
 tiam quod perticulæ ignis poros gemmatum, vi-  
 trorum & adamantis, qui ne optimis quidem mi-  
 croscopiis cerni possunt, penetrent. Hinc itaque  
 satis superque subtilitatem hanc humanæ perspica-  
 cіæ plane inscrutabilem esse patet. Ast quam stu-  
 penda hæc est, tam necessaria ad finem proposi-  
 tum consequendum fuit. Nam si particulæ ignis  
 forent crassæ, non possent non sibi invicem in  
 cursu absolvendo maximo esse impedimento; ne-  
 que oculus tot radiorum, quot ad imagines obje-  
 torum in eodem de pingendorum excitandas re-  
 quiruntur, capax esset. Dic quæso, quot soles fo-  
 rent necessarii ad opera hæc Divina, quæ admir-  
 andam mundi hujus structuram constituent, col-  
 lustranda? Quid? quod si crassities hæc obtineret,  
 calor vix & ne vix quidem poros corporum per-  
 meare, nec eadem vi sua calorifica vivificare ya-  
 leret. Unde non posset non mundus hic potius  
 mortuorum colluviem, quam vivorum habitacu-  
 lum repræsentare. Ut reliqua brevitati litantes  
 taceamus incommoda. O Celsissima Providentia,  
 penitus obmutesco, quando vel tantillum immen-  
 sam tuam perpendo sapientiam cum infinita poten-  
 tia & bonitate conjunctam, quæ tribuendo igni  
 incomprehensibilem hanc naturam, multa eadem  
 que maxima, quæ rerum creatarum conditionem

valde

valde deplorandam redderent, mala quasi uno omnipotenti iētu ex toto rerum ambitu relegavit. O oratorem aureum & plane Divinum, qui subtilissima vocis suae vivacitate omnes, qui aures suas ad ipsum convertunt, ad aeternos Creatori maximo, sapientissimo atque optimo laudum & venerationis devotissimae hymnos canendos alliciat!

## §. VIII.

**H**is suppositis *fluiditas* ignis nostram excipit meditationem, quæ, ut reliquæ omnes ignis proprietates, summam meretur admirationem. Hæc enim est, qua ignis semper quasi in æquilibrio esse querit, & facultates Divinitus sibi concessas æquabiliter per omnia distribuere conatur loca; vi hujus ignis calor continuo & indesinenter e sole & stellis fixis, ceu e stupendis & inexhaustis Oceanis, emanans omne transnatat exspansum, totumque universum præconem illum laudes aeterni & nunquam satis collaudandi. Numinis summo cum fervore decantantem, vividissime nobis sistit; vi hujus, ceu clavicula artificioſſima, noster nobilissima naturæ clauſtra aperit; ſecretissima ejusdem viscera amicissime visitat, lminutissima corporum interſtitia, quæ haud raro horrendis & munitissimis frigoris clathris clauſa & inculta jacent, penetrat, & omnia ad instar amoenissimi viridarii florefcere facit; vi hujus miro agitatur motu, adeo ut nexum, quo particulas corporum ad mutuam cohaſionem o-

mnipotens cinxit Manus, dissolvat & penitus destruat; vi hujus denique metalla & innumera alia corpora suam imitari naturam, i.e. fluere facit. Hac si ignis destitueretur, omnes, quotquot sumus, maximi, minimi, non minus perpetuis tenebris, quam saevis frigorum cruciatibus immersi, instar in misericiarum cunis vagientium, fortunam lugeremus nostram. En incommoda, quæ non unam aut alteram mundi partem, sed totum, quantum quantum sit, universum in ærumnarum suffocaret salo. Sed quis ignem tantis fluiditatis ditavit donis? Utrum casus; quem ceu vaferrium veteratorem, cæci & fortuiti titulo, quasi honoris cognomine appellare vis; tantam in suis actionibus adhibere valuit dexteritatem? Caveas obsecro! ne adeo monstrsam histriioniam faciens ab illis, qui rerum naturam lynceis contemplantur oculis, sardinio excipias rifu, non dicam exsibileris. Cur non potius ignem se ipsum in theatrum existentium produxisse contendas? Hanc enim ludionem non hirsutiorem, quam illam existimaverim. O æterna sapientia, quis unquam, nisi experientia tristissima nosmet hujus convicisset, potuisset sibi persuadere, rationem homuncionibus adeo luxuriaturam, ut insuperabilia & plane indestructibilia, quibus Tu invisiōne tuam potentiam, sapientiam atque bonitatem contra impudentissimorum Atheistarum insultus munitam voluisti, repagula vesano & ludicro inpetu, qui inter vanissima culicum conamina referri meretur, oppugnare non vereantur.

## §. IX.

**Q**uando in præsenti ignis *levitatem* ponderamus, per eam positivam illam, quam Aristoteles in rerum natura vere dari arbitratus est, intellectam non cupimus, quia hoc ignem gravitate, quæ materiae ipsius proportionata esse debet, privatum non imus, sed id tantum indigitamus, quod nemo philosophorum hucusque, in quantum nobis innoscit, fuerit, qui quantum sit ignis ponderamentum seu pondus experimentis omnidubitacione superioribus adstruere valuerit; licet per plurimi, quorum agmen ROBERTUS BOYLEUS dicit, eandem magnis tentaminibus tueri adnitantur, sed quantum ponderis illis in celebratissima hac controversia dirimenda tribuendum sit, ex annotationibus, quas Nobiliss. KLINGENSTIERRNA ad Musch. Phys. adjecit pag. 602. & 603. atque ex Dissert. de ignis gravitate Pracl. Mag. Ifr. Idman, Praef. Reverendissimo Dn. Episc. & Pro. Cancellario CAR. FRID MENNADER luculentissime patet. Hinc itaque potius ignem levem, quam gravem nobis appellare placuit. Hanc ut ignis possideat affectionem valde ad res creatas conservandas est necessarium; nam si ignis magna gravitatum armatura instructus, bellum, ut ita dicam, rebus inferret creatis, tantum abesset ut ulla earum, immo, ne montes quidem, quantumvis duritie adamanteræ, tanti hostis, qui ineffabili celeritate sua exequitur mandata, sustineret insitus, ut potius unaquæ-

unaquæque pro se citius, serius, vicias daret manus, & inevitabilem ac cum certissimo vitæ dispensio connexam sibi subeundam déploraret tyrannidem. Heu miserum mundum! Hæc & alia quæ gravitas ignis in scenam produceret, mala, si quis penitiori mentis sanæ trutina examinaverit, facilime ipsi patescent motiva gravissima, quæ æterna nos obstringunt obligatione ad Creatorem devote amandum, qui per immensam suam potentiam, sapientiam & bonitatem omnes has sustulit inimicitias, atque e contrario vinculo amicitiæ favigissimæ, i. e. ejusmodi harmonia, quam satis surperque admirari, majus est munus, quam ut mortalitas nostra id adsequi valeat, omnia & singula creata ita inter se junxit copulavitque, ut omnes, quotquot illis Conditor hic benignissimus concessit, vires, ad mutuam felicitatem, sine qua Creatoris gloria, obtineri non potest, promovendam in totum conferant.

## §. X.

**H**Uic accedit *celeritas* illa plane singularis captumque humanum longe superans, qua ignis ex una mundi parte ad alteram oxyssime fertur. Et quemadmodum ignis propter suam subtilitatem, fluiditatem & reliquas affectiones præ omnibus rebus creatis longissime eminet, ita nec ulla earum, cum nostro in motus celeritate, quæ laudatis reliquis ignis proprietatibus superstructa est, compari,

rari, nedum illi præferri potest. Elegantissime  
more suo, hac de re differit Cel. DFRHAM in Phys.  
Theol. loco de luce pag. 44. Om hūsets motus  
ej wore snällare, än de aldrasnällaste rörelser / som  
jordiska kroppar någonsin kunna göra, såsom en ka-  
non kula / ja som rörelsen af ett hud och stall / som  
måst hūset har den aldrasnällaste rörelsen / som vi we-  
ta; så skulle hūset / at räkna efter det förra/ tilbrin-  
ga hela trentio två åren/ och efter det senare hela  
tretton år / och däröfver / innan det kommo ifrån  
Solen til os. Härutaf skulle månge obegränlighe-  
ter förocksas: Lūsets wärckan och kraft skulle gan-  
sta mycket förminskas och försvinna: Des strålart skulle  
på längre här icke vara så genombrängande / och  
indröktet iatet så lätt och hastigt/ utan mycket läng-  
sammare försvinna - - Men som nu hūset far så grä-  
seligen fort / at det knapt brukar någon tid / och uti  
en enda secund går vid has två gångor hundrade  
rusende Engelska Mihl fort / eller brukar allenast sju  
eller otta minuter på en tima / innan det kom-  
mer ifrån Solen til os: Så kunna vi ganska  
säkert och hastigt erhålla des härliga influence och  
wärckan. En abyssum bonitatis non minus, quam  
potentiæ & sapientiæ Divinæ. Quid potest melius  
& mirificius Entis perfectissimi adtruere existen-  
tiā? Quid magis & vividius de summis atque  
immenlis Creatoris perfectionibus creaturis ratio-  
nalibus concionari? Consociate vos invicem, quo-  
quot rationis gyrum agnoscitis, ut conjunctis vi-  
ribus facilius immortales devotionis hymnos Grea-

tori optimo, qui immensam divitiarum suarum abyssum in nostros usus exhaustisse videtur, consecrandos componere queatis.

## §. XI.

**C**ERTISSIMIS nec non evidentissimis providæ æterni Numinis curæ argumentis, vis illa, quam Summus rerum arbiter igni indidit, *evaporationes exhalationesque* varii generis promovendi, ut annumeretur, summo meretur jure. Neminem, nisi omnia adulterina pensitaverit lance, justam dubitandi ansam habere existimaverimus, ignem, seu calorem si non primas, certe nec ultimas in re præsenti sibi vindicare partes. Nam quis est, qui adeo hospes sit experientiæ, quæ quotidie sensus delectat nostros, ut ignoret ignem suis habitaculis in poris corporum tam solidorum, quam fluidorum non destitui. Et ignis hic, quando per ignem vel subterraneum, vel solarem, qui incredibili velocitate ad omnia objecta defluit, & vi hujus eorundem occupat interstitia, e quiete deturbatur & quasi e somno excitatur, non potest non vim suam his adjungere, & deinceps, quasi conjunctis viribus, particularum invadere nexum, qui juxta fluidorum, quæ heic in primis in sensum veniunt, majorem vel minorem fluiditatem, arctior vel laxior est, eamque ob rem particularum ignearum pulsui magis vel minus resistit, antequam dissolivitur. Ast particulæ mutua cohæsione exutæ non

non possunt non specifice leviores fieri, ita ut calor æquilibrium adfectans aëris auxilio easdem, uti verisimile videtur, secum in auras, i. e. in superiorem atmosphæræ telluris nostræ regionem attollere valeat. Hac etiam ratione, ut physici, ad quos B. Lectorem remissum volumus, magno argumentorum cumulo adserunt, sudor e corporibus animalium, humor e vegetabilibus & exhalationes cujus demuncunque generis eliciuntur. Hæc tamen non ita accipienda sunt, ut nos igni soli hos naturæ effectus adseramus; possunt enim hic permultæ aliae caussæ, quas adhuc ignoramus, & aurora rei indagandæ amica rubescens, seu futurus dies tandem detegere potest, concurrere; sed licet vacillantis ingenii humani acumen adhuc rei allatæ illustrandæ non sufficiat, hoc tamen, experientia certissima acclamente, pro certo adsumere possumus, quod remoto omni calore si non plane nulli, certe nec multi adscendant vapores. Hinc natales suos petunt nubes, quarum commoda vere inæstimabilia, quibus terram impensisime exornant atque cumulant, ut alia, quæ in harum ordine, situ, motu & facie varii generis, instar vexillorum Majestatem illam infinitam luculentissime repræsentantium nobis proponuntur, tacitius, nobiliores in nobis excitare possunt, saltim debent, si rationem sanam jactitare volumus, cogitationes de rerum ortu, quam quas monstrissima Atheistarum colluvies in aures nostras insuffurare enititur. Hinc fulgura & tonitrua hor-  
borūp  
D 2  
rendo

rendo cum fragore, qui cœlum & terram contremere faciunt, in gloriam Divinam fulminant; tanta enim hæc sunt phænomena atque adeo Majeſtatica, ut illos quoque, qui fensum Divinitatis ſibi jam penitus exuebant, ſupplices ad eandem agnoscendam accedere compellant; quippe quæ haud raro vindictam Divinam in miseros exsequuntur mortales. Sunt præterea alia perplurima, quibus enumerandis, nedum admirandis vires meas non invenio pares, phænomena, quæ igni originem debent, non minus metum, quam venerationem incutientia. O Divine Monarcha, magna ſunt tua imperia, ſed major adhuc tua potentia; innumeri ſunt cives, quos civitate tua donavit potentia, infinita vero in iisdem gubernandis tua sapientia; multiplies denique ſunt eorum necessitates, abundantior vero tua in iisdem ſupplendis bonitas.

## §. XII.

**Q**uamvis permulta magni ponderis adhuc, quæ penitorem perluſtrationem promerentur, forent in majestatico hoc Numinis artificio, cum quo, uti omnibus, qui in aureo revelationis lyceo, Divini luminis jubare colluſtrati ſunt, plus ſatis innotescit, præ omnibus fere reliquis rebus ſuis creatis ſanctissimam & plene incomparabilem ſuam majestatem, ceu ſymbolo nobilissimo & præ omnibus aliis ad ideam ſtupendaſ ſuæ majestatis in cordibus mortalium depingendam aptiſſimo comparare ipſi placuit. Sed quum, præterquam quod

quod rei præsentis natura altioris sit indaginis, quam ut eadem in meam plane jejunam cadere queat cynosyram, haud leves ad sint rationes, quæ brevitatem propositam commendant, reliquis super sedere cogimur. Prius tamen quam filum abrumpamus, paucis, pro ratione institutis, ignem delineamus extinctum, in quo summa elucefecit providentia. Exstinguitur ignis vel consumto pabulo, seu, ut verisimilius videtur, dispersis combustilium particulis evanescit; vel infusione aquæ aliorumque liquorum flamمام aliquoquin sustentantium justo largius facta; quippe quæ ceu corpora specificie graviora ignem ardenter poros corporum ignitorum derelinquere aurasque petere cogant; vel ventu justo vehementiore, flamمامque ex materia combustionis capace expellente; vel denique, ut reliquos modos sicco transeamus pede, aëris ad flamمام alendam necessarii exclusione. En documenta potentiae, sapientiae atque bonitatis Dei evidentissima, cui potentiae ignis violentissimæ non justos minus, quam sapientes ponere placuit limites, ne eosdem transgrediendo tyrannidem in res creatas exercere queat universalem. O Despota omnisapiens, quot fines unico medio intendit obtinendos! despoticu Tu omnia voluntatis tuæ sanctissima decreta in scenam actualitatis, via brevissima ordineque sapientissimo prodire jubes; sapientissime & potentissime omnia creasti, benignissime pulcherrimoque ordine eadem conservas. O quam garruli balatrones, im-

mo inutiles prorsus singulacæ sunt, qui inepte de  
rebus tuis creatis plane stupendis & immortali admi-  
ratione dignissimis balbutiendo, potentiaæ, sapientiaæ  
& bonitatis tuæ infinitæ laudibus obtrectare non  
erubescunt; non satis deplorari potest, homunciones  
hos miserrimos adeo sibi ipsis atque affectibus suis  
perversissimis lenocinari. O Creator omnipoten-  
tissime, Conservator Optime, Sospitator sapientissi-  
me infundas nobis amorem tui intensissimum,  
pietatem erga Te infucatam venerationemque san-  
ctissinam, devotissimam! In Te, Cessissimum Nu-  
men, omnes omnium perfectionum composibili-  
um thesauri, tanquam in centro Divino & ocea-  
no vastissimo, confluunt. Tibi soli, O DEUS in-  
finite, sit honor, laus & gloria in omnium æter-  
nitatum nunquam terminandarum

FINEM.



D 3